Athanasius Georgicens Leoni Sapieha 27/2 1632

Ill^me Domine D. mi Col^me

In transitu meo per civitates Ill^mae D. V^rae, bene habitus et tractatus fui, maxime Tolozinae à D. Nicolao Antonowicz, ibidem Capitaneo; qui omnem humanitatem, et benevolentiae effectus mihi exhibuit, et per duos dies integros lautissime tractavit, ac etiam discedenti non solum ad currus quaedam pro itinere imposuit, sed etiam Korsanouae praefecto, ut me prandio exciperet per litteras mandavit: quod ille promptissime fecit, cum totali mea meorumque satisfactione, pro quibus omnibus Ill^mae D. V^rae, ago gratias quam maximas.

Litterae Ill^mi D. Palatini ~~…~~ Smolensis, in meo adventu datae, ut, si prius calculo eiusdem comprobarentur à camerario Ill^mae D. V^rae, qui eas tulit, in Moscoviam portarentur; eundem D. Palatinum valde perplexum reddiderunt. time-bat enim syncerissimus vir, ne, si consentiret, ut mitterentur, Ser^mi Principis Vladislai, et totius Reipublicae Polonae, praetensiones certas tandem incertas faceret, et omnes malae consequentiae, quae inde oriri possint, illi attribuerentur. Sic contra non consentiret, et propterea aliquod damnum futuris temporibus Respublica pateretur, eundem auctorem damni illius proclamarent. Itaque re mecum collata, supra quam non uno momento, nec una hora; sed aliquod diebus discurrendo consumpsimus, tandemque conclusimus, ut nullo modo, rebus sic stantibus, mitterentur, victi his qui sequuntur rationibus. Prima. Quod in praesentiarum nulla sit talis necessitas; qua ad dandum titulum illi, cui de iure non debetur, Lituani cogerentur. Secunda. Si daretur, statim Moscovitae res Lituanorum in pessimo statu esse suspicarentur, et per consequens extollerentur, et omnes tractatus, vel induciarum, vel perpetuae pacis, difficiles redderent. Tertia. Quae apud me est maxima, ne gloria à Sua M^te Caesarea Dno meo clementissimo, mihi commissa, cum auctoritate et fructu qui speratur, tractare minime possem. Quarta et ultima. Quod progressus Gustavi, ex quibus plurimas chimeras Moscovitae sibi finxerunt, iam

402

notabiliter sunt impediti, et de die in diem, cum auxilio divino, impedientur. proxime enim Vere Sua M^tas Caesarea habebit exercitum numerosissimum, cui similem nec Gustavus habuit hactenus, nec in posterum habebit

Quod ad D. Josephum Iakimowicz, camerarium Ill^mae D. V^rae attinet; is in itinere valde bene se gessit, et sua modestia et promptitudine inserviendi, toti meae familiae admirationi fuit; quem (siquidem in Moscoviam, ex hoc loco propter causas supradictas non praemittitur) mecum accipere minime iudicabam; imo nec ullum alium ex famulis Ill^mi Dni Palatini Smolensis: quia, cum sint hic multi speculatores, rem ipsam Moscovitis indicarent, et me suspectum apud illos redderent; ubi autem est suspitio, ibi est difficilis negotiatio: tamen bene perpendens, quod dictus Iakimowicz non aliter quam alius meus famulus mihi inservierit, et ipsemet apud illos famulum meum esse sese declaraverit, constitui illum accipere, et aliquod officium, vel potius officij titulum eidem apud me attribuere, et quod maximum est, voluntati Ill^mae D. V^rae taliter satisfacere. Scio, quod V^ra Ill^ma Dominatio, tanquam prudentissima et rerum Moscovitarum peritissima, ex hisdem his considerandis, calculo sui iudicij hactenus acta non improbabit. De caetero Ill^mae D. V^rae, mea humillima obsequia deferens eandem quam diutissime sanam et incolumem pro multorum consolatione et Reipublicae bono, vivere cordetenus exopto et auguror. Datae Smoliski die 24 Feb. 1632

Ill^mae D. V^rae

P. S.
Dum eas claudere vellem, caeterae aliae Ill^mae D. V^rae, 10. currentis datae, comparuerunt; ad quas respondere supervacaneum esse duxi; siquidem in eadem materia, responsum ex praecedentibus Ill^ma D. V^ra, facile colligere poterit.

Addictissimus Servitor

Athanasius Georgiceus [illegible]

32

403